



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.  
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],  
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1553**

**VD16 B 9605**

Dispositionis Et Perioches Historiæ Evangelicæ Secvndvm Lvcam,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35634**

## EVANGELIUM

Christo uero deo & homine, unico rege, sacerdote, & seruatore nostro, quæ scilicet dixerit & fecerit dum dispensationis diuinæ negotium ab æterno decretum, absoluit. Nostrum fuerit, implorato dei auxilio, omnem spem nostram in illum figere, qui datus est nobis ad salutem, & qui annuntiatur nobis ad lucem uitæ sanctæ & æternæ. Faxit hic rex & pontifex noster, ut in ipso uiuamus æternum. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

## DISPOSITIONIS ET PERIOCHES HISTORIÆ EVANGELICÆ SECUNDÆ DVMLVCAM, LIBER I.

Lucas medicus.



Edidit Lucas duo de rebus Christi et Ecclesie eius uolumina, de quibus Eusebius in historia ecclesiastica, Lucas secundum medicinam, inquit, quam ex apostolorum uel societate uel traditione susceperat, duos nobis medicinales libros, quibus non corpora sed animæ curentur, explicuit, Euangelium scilicet, in quo etiam sic præfatur, Sicut tradiderunt nobis, inquit, qui ab initio ipsi uiderunt, & ministri fuerunt uerbi dei, quos & ab initio secutus sum: & Actus apostolorum, quos iam non auditu perceperat, sed oculis

lis inspexerat. Si enim inspicias librum Actuum apostolorum, inuenies à 16. cap. Lucam se ubiq; annu-  
rare ac immiscere rebus gestis apostoli Pauli, idq; in fi-  
nem usq; libri. Duobus ergo his libris descripsit diligen-  
tissime & plenissime res Christi & ecclesie Christianæ,  
per annos circiter 60. Nā à 42. Augusti anno, in quo  
Christus dominus ex Maria uirgine natus est, ad 18. Ti-  
berij, in quo Christus cruci affixus est, numerantur an-  
ni 33. Augustus enim post natum dominum imperauit  
annis 15. At à 18. anno Tiberij ad 4. usq; Neronis,  
supputantur anni 28. In hac autem 60. annorum de-  
scriptione, proposita est, haud dubie, perfectissima facies  
& absolutissimum exemplū doctrinæ ueræ Christianæ,  
& Ecclesie orthodoxæ, sponsæ Christi electæ, ut alijs  
legib. doctrinis & formulis, extra aut contra has, nihil  
opus sit ecclesie Christi catholicæ.

Plena histo-  
ria rerum  
Christi &  
ecclesie.

Præfatione operi euangelico præfixa, causas expo-  
nit quæ ipsum ad scribendum impulerunt, sed & sum-  
mam totius instituti proponit. Deinde historiam conte-  
xere incipit, auspicans eam à natalibus præambulonis  
Messiæ. Ergo parentes Ioannis Baptistæ diligenter de-  
scribit, in primis quomodo patri per Gabrielem &  
conceptio & officium filij sint exposita. Quibus cum  
nō crederet pater, euenit ut ipse, in diffidentie pœnam,  
mutus fieret, & mater nihilominus deo quod promisc-

Cap. 1.  
Ioan. bapt.  
& Christi  
incarnatio.

E V A N G E L I V M

rat seruante conciperet. Cæterū post descriptam præcursoris conceptionē, descendit ad describendam ipsius quoq; Messie incarnationē. Post notationem ergo temporis genus & conditionem matris designat, quod uirgo fuerit intemerata, Dauidici generis: ad quam idem ille Gabriel æterni dei nuncius descenderit cœlitus, annunciaritq; sic uisum esse æterno numini, ut ipsa mater fiat Messie: simul autem exponit quis & quantus hic foetus sit futurus. Cumq; uirgo nondum plene negotiū, certe arduum, intelligeret, exponitur ei ab angelo uersa ratio et modus incarnationis, quod conceptura sit è spiritu sancto & editura ipsum dei filium. Confirmatur item Elisabetæ exemplo. Quibus uerbis cum credit, concipit. Mox uero ad Elisabetam properat, & diuinum cum ipsa miscet colloquiū. In eo colloquio reuelatur incarnatio filij dei, laudaturq; diuina ueritas, misericordia & potentia, maxime in panegyrico seu gratulatorio hymno uirginis Mariæ. Porro Elisabet parit filium, cui nonen inditur Ioannes. Patri hætenus muto propter incredulitatē, iam redditur usus linguæ, quæ & in laudes dei protinus laxat. Canit enim & hic carmen panegyricū, quo laudat dei ueritatē in pmissis, bonitatē & iustitiā in factis. Deinde uaticinatur quædā de officio filij sui, beneficijsq; orbi per Christum exhibendis.

Cap. 2.

Quibus absolutis, Lucas historiā de Ioanne abrupit,

pit, et ad Christi natiuitatē describendā accelerat. Indicat ergo tēpus, & locū natiuitatis domini describit, & modū eiusdē. Rursus autē apparet angelus, et natiuitatē <sup>Natiuitas & reuelatio Christi.</sup> Messiae annūciat pastoribus, fructūq; his natiuitatis exponit. Quo in loco mira cū gratulatione confluit totus celestis exercitus, carmen natalitiū nouo regi nato concinens. Pastores uero religiose puerū natum, uti iussi fuerant, inquirūt, inueniūt, mirantur, & omnibus magnalia dei annunciant. Caterū puer octaua die circumcidi-  
tur, & accipit nomen I E S V S. Deinde et domino pro more primogenitorū in tēplo Hierosolymitano sistitur. Vbi ex diuina ordinatione comparet Simcon ille iustus, qui infantulū excipit in ulnas, gratulatur, gratulandoq; quanta nobis in filio pater dederit exponit: simul & de cruce illius, & quod multi per incredulitatē in ipsum impacturi sint, prophetat. Adest & Anna uidua uita laudatissimæ, quæ & ipsa gratias agit deo, & laudat ingens patris in filio exhibito beneficium. Post ea Lucas paucis attingit Christi domini puerilem ætatem, adulescentiam & iuuentutē. Nam exponit quomodo duodecim annos natus, in templo inter doctos à parentibus anxie quæsitus, repertus sit, ita de rebus religionis maximis disputans, ut omnibus fuerit miraculo. Quibus adiicit quod disputatione relicta parentibus fuerit subditus: his ueluti speciminibus spectatissimis æsti-

## EVANGELIUM

mandum relinquēs, qualis fuerit tota ipsius adolescentia atq; iuuentus. Sic autē miro compendio complexus est Lucas quicquid utile & necessariū scitu creditūq; uideatur de natalibus Christi, eius pueritia, adolescentia ac iuuentute.

## LIBER II.

Cap. 3.

Evangelium  
predicatur.

**P**RAELVSVM est euangelico negotio duobus praecedentibus capitibus: nunc enim tradit Lucas euangelij initium, progressum & successum admirandū, quo tempore & loco, per quem & quomodo ipse Christus & euangelium eius palam sint annunciata, à Ioanne uidelicet Baptista, qui magna in frequentia hominū baptizauit atq; docuit. Exhibet autem specimina quaedam praedicationis S. Ioannis, quid in genere omnes docuerit, quid quosdam singulariter, quid deniq; docuerit, & quae testificatus sit de Christo: postremo annotat quod propter ueritatis praconium coniectus sit ab Herode rege in uincula. Quibus breuiter quidē (sed quantum satis erat pio Lectori) perstrictis, transit ad res ipsius saluatoris nostri domini Iesu Christi, cuius praecursor erat Ioannes, describendas: ac mox ab initio docet quis sit, & quanta ab ipso habeamus, quomodo unctus & inauguratus sit rex & sacerdos populi dei, à patre, quod uidelicet unctus sit spiritu sancto, quod sit dei & hominis

hominis filius, quo nomine genealogiam eius ad Adamis  
usq; producit.

Porro inauguratus functioni & regno sacerdotioq; Cap. 4.  
dominus noster, pro officio suo incipit iam operari sa-  
lutem nostram, ac in primis aggressus satanam difficili  
quidem certamine uincit, tandem & in fugam conuer-  
tit. Victor autem prodit & euangelium regni & libe-  
rationis annunciat per uniuersam Galileam. Prædica-  
tionis eius specimen egregium, concionem uidelicet ha-  
bitam in ciuitate Nazareth diligenter descriptam relin-  
quit. Cæterū cum salutaris eius doctrina minime ut de-  
cuiisset exciperetur à ciuibus Nazarethanis, relictis  
ipsis, contulit se ad famigeratam urbem Capernaum,  
ubi iterum docet. Doctrinæ autem coniungebat facta  
quedam stupenda, quibus quod docebat approbat, se  
esse saluatorem mundi. Ergo liberat demoniacum pulso  
demonio: socrum Petri febricitantem restituit, omnis  
deniq; generis morbos curat.

Interim uero strenue euangeliū prædicat: quod cum Cap. 5.  
in ecclesia perpetuò annunciari uult, deligit sibi testes  
aliquot, quos ad se miraculo ædito attrahit. Rursus au-  
tem operibus declarat se esse mundi saluatorem. Lepro-  
sum enim mundat: paralyticum sanat, in quo etiam de-  
clarat se peccata remittere hominibus. Ergo & publi-  
canum insignem, Leui, uocat, & iustificat, iustificatum

## EVANGELIUM

autem & semetipsum defendit à calumnijs hostiū. Vbi  
cōmodum adiungit disputationes aliquot de ieiunio &  
precibus, de idoneis & nō idoneis auditoribus euange-  
lij, deq; sabbato & ferijs, quibus errores & abusus rea-  
darguit, ueram autem doctrinam restituens asserit.

## LIBER III.

Cap. 6.

Instituitur  
apostoli.

**I**NNOTUIT hucusq; discipulis suis dominus &  
redemptor noster Christus, ad hoc peculiariter uo-  
catis, ut erudirentur & magistri fierent omniū in terra  
nationum, his adiungit iam & alios quosdam quos om-  
nes consecrans iubet esse apostolos, id est legatos, quos  
aliquando mittat in mundum. At priusquam eos dimittat,  
plenius & familiarius instituit. Declarat enim eis  
rursus quis sit, quid possit, delineans præterea quod ge-  
nus doctrinæ sequantur. Nam factis prodit uirtutem di-  
uinam: sermonibus tradit quæ sit uera doctrina, quæ  
uera felicitas uel infelicitas, quæ sint officia pietatis fide-  
lium, & quod perfectissimam iustitiam exigat à suis do-  
minis. Lucas enim consignat integrum sermonem do-  
mini habitum in frequenti hominum turba & in coro-  
nâ discipulorum. Quo sermone inter alia diligenter  
monet dominus ut caueamus nobis à pseudodoctoribus,  
de quibus non indiligenter differit, in fine sermonis sub-  
iungens



lingens nō satis esse audire uerbum dei, nisi factis pijs,  
id quod uerbo didicimus, exprimamus.

Sermoni huic domini adiungit rursus Lucas facta Cap. 7.  
quibus saluificam suam uirtutem exerit dominus. Resti-  
tuit enim Centurionis seruū. Excitat deinde ex mortuis  
filium cuiusdam Naimiticae uiduae, ea re demonstrans se  
esse uitae & mortis dominū. Adsunt et discipuli ioannis,  
& c domino quaestionem proponunt: cuius occasione de-  
clarat se esse illum expectatū Messiam. Deinde & ioan-  
nem laudibus extollit amplissimis, quo plures commoue-  
ret ad credendum illius testimonio, qui constanter testi-  
ficatus fuerat Iesum esse Christum. Postremo grauisime  
increpat pharisaeorū incredulitatem, qua fieri ostendit,  
ut ipsi pereant uitio et culpa propria. Mox adijcit pa-  
radigma, quo colliquescat quomodo pharisaei sibiipsis  
nimium fidentes Christum respuant, peccatores autē cre-  
dentes eundē recipiant, induciturq; peccatrix, cui recla-  
mantibus multū pharisaeis gratuito remittuntur peccata.

His ad eum modum expositis, inducit rursus Lucas Cap. 8.  
dominū docentē, & populū turba confertissima irruen-  
tem, qua re occasionem praebent docendi parabola, quae  
sit natura uerbi dei, quae auditorum diuersitas, quodq;  
non approbet auditores quoslibet, sed fructificantes  
duntaxat. Illis subiicitur descriptio tempestatis & quo-  
modo discipulis perturbatissimis tranquillitas reddita

E V A N G E L I V M

fit à domino, qui hic quoq; ut aliàs sæpe declarat se temptatum potentem satanæq; esse uictorem. Nam nullis armis, sed uerbo solo totam diabolorum legionem fundit & fugat. Adhæc sanat mulierem quandam profluvio sanguinis irreparabiliter laborantē, ac excitat ex mortuis lairi filiam.

Cap. 9.

His omnibus in uera fide & pietate erudit fidelium mentes, discipulorū suorum in primis, quos aliquandiu iam institutos tandem etiam ablegat ad munus prædicandi, datis nonnullis præceptis peculiaribus quomodo se gerant præscribentibus. Redeuntes uero re satis feliciter peracta excipit peramice dominus, eosdem iam amplius instituēs, quo & rebus paret maioribus & confirmationes reddat in uero. Epulū itaq; exhibet turbe. Interrogat quem se esse dicant turbe, & quid de ipso sentiant discipuli: ubi se ueræ fidei confessio aperit. ibidem docet sui abnegationem: ac transformatur in oculis delectorum discipulorum. Iterum uero rebellantem & sauisime furentem sathanam uincit & fugat. Dissertit de passione & morte sua: mox & humilitatem atq; modestiā diligentissime inculcat discipulis, ambitionē & superbiam radicitus extirpat. Vbi etiā docet neminem contemnendum aut reijciendū esse, qui non aliquo modo gloriā Christi promouet. Hoc autē modo erudiuit quos destinauit orbi dare doctores, & in his totam ecclesiā.

Lib.

## LIBER III.

SATIS copiose & dilucide enarrauit hucusq; bea Cap. 10.  
 Stus Lucas quæ dixerit & fecerit dominus in Galilæa, exponet porrò profectiõnem domini e Galilæa ad Hierosolymorũ fatalem urbem, quid euenerit in itinere, quid docuerit & quæ fecerit admiranda & memorabilia. Ac initio quidem profectiõnis Samaritani hospitium Ministri  
Euangelij. negant domino, discipuli uero inhumanitatem illorum punitam cupientes, audiunt à domino præpostero eos inardescere zelo. Deinde alium quendam amicitiam domino offerentem repellit dominus: mox uocatis duobus docet quomodo recipi uelit, & quomodo ipsum sequi oporteat. Porrò ut salutare euangelij negotium innotesceret pluribus, deligit sibi plures discipulos. Nam duodecim illis adiungit adhuc alios septuaginta. Hos præmittebat binos in omnem locum in quem ipse erat uenturus. His tradit præcepta quædam, & eo modo rursus agere incipit de doctoribus & doctrina euangelica. Discipuli fideliter exequuntur mandata, redeuntesq; quàm feliciter cesserit res exponunt domino. Hic ostendit euangelica prædicatione destrui regnum diaboli: docet suos humilitatem ne efferantur ob res felicius gestas: mox etiam indicat qui capaces sint uerbi euangelici, & quare uni Christo euangelica prædicatione omnia

EVANGELIUM

tribuantur; quanta item sit eorum felicitas qui credunt  
euangelio Christi. Commodum uero à quodam rogatus  
legisperito quid faciendo uitam æternam consequatur,  
diserte docet quæ sit sincera doctrina, unicus & cer-  
tus scripturæ scopus, quæ uera prædicatio ueritatis  
quam ecclesiæ tradat doctor euangelicus, ubi in primis  
Dilectionem proximi inculcat parabola cæsi à latroni-  
bus producta, & officijs Martæ commendatis, quibus  
interim præfert fidem Mariæ.

Cap. 11.

Et quoniam proximū prædicationi uerbi & quasi  
cohercens est oratio in ecclesia, ideo & de ipsa fuse &  
diligenter differit. Mox eiecto & superato satana, decla-  
rat quod ex euangelicis capitibus præcipuum est, se ue-  
nisse in mundū ut superet diabolium & opera eius de-  
struat: & quod omnia faciat & dicat, nō arte magica  
instructus aut satanæ uiribus impulsus, sed uirtute dei,  
cum sit filius dei et Messias uerus. Rursus uero conuer-  
titur ad cōmendationem prædicationis euangelicæ, ubi  
neglectum & contemptum uerbi dei incredulitatemq;  
Iudeorū accusat grauißime. Præterea demonstrat quid  
sit uerbum dei, cur reuelatū hominibus, quanta sit eius  
dignitas, utilitas atq; necessitas. Quibus ex opposito  
obijcitur falsa doctrina, obiurganturq; à domino phari-  
sæi & pseudodoctores acerbissime, quorum doctrinam  
tandem cauere iubet diligentißime.

Quia

Quia aut id sine odio mundi non potest fieri, hortatur **Cap. 12.**  
 hic quoque suos ad fortitudinem atque constantiam ne sibi me-  
 tuant, sed intrepide agant et ueritatem libere confitean-  
 tur. Impedit uero et turbat sinceram religionem affectus  
 cupiditatis, et auaritia praecipue, dominus ergo multa  
 adducens contra auaritiam, docet quemlibet sua esse sorte  
 contentum: inculcat uigilantiam animique sobrietatem, omnibus  
 quidem, sed apostolis praesertim, quibus et proposita pa-  
 rabola suum rursus officium adumbrat, addens iterum quis sit  
 effectus uerbi dei, et admones ne contemnamus signa sa-  
 luis nostra, sed recipiamus hanc animis promptissimis.

## LIBER V.

**P**RAECEDENTE libro differuit dominus, **Cap. 13.**  
 narrante historico Luca, multa de euangelio euan-  
 gelijque praekonibus. Euangelium uero Poenitentia et Re-  
 missione peccatorum ceu partibus absoluitur, sequitur  
 itaque saluberrima doctrina de Poenitentia et Remissio-  
 ne peccatorum. Ad poenitentiam adhortatur exemplis  
 et parabola quadam arboris fici, docens quid eueniat  
 impoenitentibus, et qui sint fructus poenitentiae uerae, qui  
 putres falsae: ostendit praeterea unde sit uirtus efficiendi  
 fructus poenitentiae ac bona opera. Mox adhortatur  
 omnes, ut conemur ingredi per uiam aeternam et difficilem.

De Poen-  
 tentia &  
 Remissione  
 peccatorum.

E V A N G L I V M

que ducit ad uitam. De biuio enim illo celeberrimo disputat rursus, nonnihil adferens de poena impœnitentium, deq; iudiciorum dei æquitate, perditis incurabiles, quos nulla fides & diligentia potuit sanare.

Cap. 14.

Deinde eximit pietatis studiosis errores et uitia aliquot non leuia, informatq; officia pietatis. Nam eximit rursus errorem de religione sabbati. Deprimit fastu & supercilium Pharisaicū, modestam humilitatem inserit, sed & beneficentiam docet. Hinc accepta occasione ab exclamatione cuiusdam conuiuæ pronunciantis beatum esse qui comedat panem in regno dei, adhortatur omnes ad fidem, ne incredulitate indignos se præbeant regno dei: ubi etiam consilium dei de saluando mundo exponit dominus, id quod à quibusdam ait uilipendi studio rerum præsentium, quibus etiam poenam denunciat. Et hæc quidem dixit de impediētib; dei uocationem: ex opposito opponit doctrinam quomodo oporteat uocationem sequi dominum, & eius uocationi obedire: hoc est, quales esse discipulos domini, & quid sibi ex euangelio polliceri oporteat.

Cap. 15.

His adnectit parabolas aliquot uenustissimas, quibus rursus declarat rationem ueræ poenitentiae, sed & rationem remissionis peccatorū in primis, gratiæ inquam, misericordiæq; dei immense, perstringens ubiq; supercilium & hypocrisim iustitiariorum.

Cap. 16.

Post ea copiose differit

differt de officijs fidelium, de charitate inquam in proximos et beneficentia, deniq; de contemptu rerum terrenarum contra auaritiã pro misericordia, deq; usu & abusu rerũ terrenarũ. Et hæc quidem omnia adumbrat, & oculis quasi contemplanda proponit in parabolis œconomi perfidi, et diuitis epulonis ac Lazari mendici.

## LIBER VI.

**S**VNT nō pauci homines impij quibus fabulæ uia Cap. 17.  
 dentur quæcunq; prædicantur de cœlo & inferis,  
 ij deinceps nō paucos uenenatis & blasphemis linguis  
 suis inficiūt. Dominus ergo consequenter ostendit quàm Offendicu-  
 grauis sit coram deo offensio. Rursus docet condonare lum.  
 delicta si qua in te fuerint commissa. Quod cum citrà  
 fidei beneficium fieri non possit, salutaris protinus de  
 fide doctrina subiungitur. Quibus mox adiungit doctri  
 nam de eo ne quid nobis arrogemus, sed omnem gloriã  
 tribuamus domino: qui solus purgat nos, & uires suffi  
 cit efficiendi bona opera, quo nomine magnas ipsi gra  
 tias debemus. Id quod in historia decem leprosorũ mun  
 datorum quasi oculis cernendum subiecit.

Iam quoniam in tota hac historia frequentissimè  
 mētio facta est regni dei, significantius de eo differtur.  
 Deinde adiungitur quid passuri sint qui nolunt credere  
 uenisse regnum dei, Rursus exponitur quæ futuræ sint

E

## EVANGELIUM

Cap. 18.

in orbe ad finem usq; sæculi turba calamitatesq; et quomodo se in ijs gerant fideles. Vbi uehementer suos adhortatur ad preces pertinacissimas, pollicens etiã deum suos uindicaturũ. Et quoniã plures erant qui in scipos confidebant, proponit paratolam pharisæi et publicani ascendentium in templum, & docet quæ sit uera iustitia, & quomodo iustificemur homines. Quibus expositis erudit quid de salute infantium semiamus: quid quisq; boni faciat ut regnum dei possideat: quã difficulter diuites ingrediantur in regnum dei: quid præmij paratum sit relinquẽtibus propter dominum facultates huius sæculi, indicat ibidem suis dominus quid ipse sit passurus.

Cap. 19.

Sequitur deinceps cæci illuminati historia, & Zachæi illius nobilis publicani uocatio & receptio in gratiam Christi: quibus erudimur quomodo omnes homines illuminemur, recipiantur in gratiam, ac iustificemur, & quid iustificati operentur, aut quomodo erga deum & erga proximos se gerant.

## LIBER VII.

Christus  
rex & sacerdos.

**E**XERCIVIT munia sacerdotalia dominus noster Iesus toto tempore dispensationis suæ, præcipue tamen ultimis illis diebus quibus salutem nostram moriens



moriendo & resurgendo plene absoluit. Proinde quo propius accedit ad urbem, eo significantius declarat se regem esse & pontificem populi dei, muniaq; sacerdotis & regis perficit. Ac initio cum inter suos etiam nonnulli essent, qui arbitrabantur regnum Christi fore terrenum, & iamiam id ipsum exoriturum, eximit eum errorem dominus, ac parabola docet quale nam regnum illud Christi, et quando sit futurum. Mox in urbem ascendens insidens inuectus, glorioso, sed humili illo suo aduentu declarat se esse regem illum expectatum populi dei. Priusquam tamen ingrediatur deflet caecae urbis fata, calamitatesq; quas significantissime praedicit, causamq; calamitatum subiicit. Et quoniam regis est collapsa restitueret, & deprauata resecare, templum ingressus, eicit ementes & uendentes, ipse uero in templo concionatur quotidie.

Rogatus a sacerdotibus a quo sit inauguratus rex Cap. 20.  
& sacerdos, ostendit omnem se caelitus a deo auctoritatem habere. Porro rebelles grauissime increpat parabola uinae & colonorum inducta, interim excidium, quod ipsis propter rebellionem imminerebat, abumbrans. Deniq; quando sacerdotis sit docere populum dei & contradicentes reuincere, subiicit Lucas disputationes & colloquia aliquot domini habita cum aduersarijs. Primo docetur quid deo, quid magistratui debeamus. Secundo

## EVANGELIUM

Cap. 21. differitur de Spe sanctorum, de Resurrectione mortuorum, & qualis sit uita in futuro seculo. Tertio ostenditur quid unice spectandum sit in omnibus scripturis, Christus uidelicet uerus deus & homo saluator mundi. Quibus absolutis pingit dominus pro munere sacerdotali pseudosacerdotes, à quorum corruptela admonet suos diligenter sibi caueant. Mox approbat uiduæ donum gazophylatio illatum in templo. Vbi occasionem sumit copiosissime differendi de excidio urbis & gentis Iudaicæ. Ab eo excidio defertur ad interitum quoq; totius orbis finemq; mundi, deniq; ad signa proxime extremū diem præcedentiæ, definienda seu designanda. Vbi fideles diligentissime adhortatur ad uigiliam & sobrietatē, ne inopinato casu cum infidelibus opprimantur & pereant.

## LIBER VIII.

Cap. 22.

Sacrificiū  
Christi.

**P**ERFECIT hæcenus omnia ad hostiam usq; præcedendam offerendamq; sacerdotalia munia dominus, restabat ergo expiatorium modo sacrificium perficiendum: proinde Lucas per consequentia passionem & mortem domini, quæ unica & salutaris est semel pro peccatis totius mūdi oblata uictima, describet. Et initio designat tempus, deinde commemorat mortis causas:  
hinc

hinc attingit quomodo celebravit pascha: cui subijcit memorabilem Coenae mysticae institutionem. Addit quae loquutus sit dominus de proditore suo: quomodo composuerit contentionem discipulorum, de eo exortam, quis ipsorum maximus uideatur in regno dei. Praedicit studium diaboli contra discipulos omnes, praesertim autem contra Petrum negatorem. Mox praecipit gladios sibi coparent: assumptisque discipulis exit cum delectis in montem oliuarum. Hic supplicat patri ardentissime. Ibi corripitur agone, qui ipsi sanguineum exprimit sudorem. Consolationem accipit ab angelo. Deinde uero capitur & uincitur a pontificum ministris: quod cum Petrus prohibere uellet, amputauit seruo pontificis auriculam: sed dominus saucium curauit, & capientes acerrime obiurgauit. Porro captus ducitur in urbem, & sistitur pontifici. Tunc foede dominum abnegauit Petrus, nec semel. Ministri uero pontificum scelerumque per integram fere noctem domino illudunt eumque tractant indignissime. Diluculo damnatur a sacerdotum & primorum Hierosolymitanorum senatu dominus.

Damnatus traditur Pilato, propositis simul aliquot Cap. 23. accusationis capitibus. Pilatus uolens gratificari Herodi ad hunc ablegat dominum. At ille egregie illusum & candida ueste indutum, remisit Pilato. Hic post multam altercationem cum iudeis habitam & post dimissum

E V A N G E L I V M

Barabbam, tradidit Christum scelerum ministris cruci-  
figendum Protinus ergo ipse crucem baiulans, & pone  
sequente quodam Simone et crucem eandem sustinente,  
ducitur innoxius. Descent illius casum acerbissimum re-  
ligiosæ aliquot mulierculæ. Cæterum dominus ea occasi-  
one oblata iubet propriam desceant calamitatē, quam  
urbi & geni euenturam prædicit. Venit interim in lo-  
cum supplicij, ubi medius inter duos latrones crucifixus  
exaltatur. Ibi primū orat, deinde multa sustinens oppro-  
bria, patienter perfert omnia. Inter alia alterum ex la-  
tronibus supplicantem recipit in consortium & partici-  
pationem uitæ æternæ, eo exemplo declarans quanta sit  
uis semel oblata uictimæ. Sequuntur hinc prodigia quæ-  
dam testificantia filium dei pati. Dominus autem tra-  
dens spiritum deo patri expirat in cruce. Centurio au-  
tem militum Rom. prodigijs commotus & Christi pa-  
tientia & morte affectus, testatur ipsum esse iustum.  
Vident hæc omnia familiares domini, diuina hæud dubie  
prouidentia sic moderante, ut essent oculati testes, rebus  
tantis adhibiti. Postremo adit Pilatum Iosephus senator  
urbis clarissimus, poscitq; corpus domini ad sepulturam  
quod cum accepisset deposuissetq; à stipite, sepulchro  
intulit condiditq; gloriose. Id quod mulieres aliquot spe-  
ctantes obseruarunt, ut corpus postridie uenientes un-  
gerent.

## LIBER IX.

**E**XPIATO peccato, deuictisq; inferis, supera. Resurrectio  
domini.  
 ta deniq; morte, rediuiuus e' sepulchro et ex mor-  
 tuis, tertia die resurgit uictor & triumphator dominus,  
 rex & pontifex noster Iesus Christus. Et quoniam in  
 uiuifica domini nostri Iesu resurrectione spei & uitae no-  
 strae cardo uoluitur, demonstratur illa euidenti-  
 bus signis & argumentis. Ac primum quidem declaratur resurre- Cap. 24.  
 ctio domini ab ipsis dei angelis quibusdam religiosis mu-  
 lierulis, quae uenerant corpus domini Iesu unctum. Ea-  
 dem mox Petro signis quibusdam innotescit. Prosi-  
 scens tibus deinde Emmaumentem discipulis duobus, coniungit  
 se his dominus sub specie peregrini, ac istis clarissime  
 cum ex scripturis tum re ipsa demonstrat quod resurre-  
 xerit ex mortuis. Postremo prodit in medium discipu-  
 lorum dominus, & ad oculum ostendit ueram & redi-  
 uiuam suam resurrectionem. Confirmat deinde mentes  
 illorum scripturis.

Iam ut omnes intelligeremus omnia Christi nostra  
 esse, mandata dat discipulis de praedicando omnibus gen-  
 tibus Euangelio, ad quam rem perficiendam pro-  
 mittit eis spiritum sanctum, quem in urbe Hierosolymorum ex-  
 pectent praecipit. Quibus peractis omnibus educit di- Ascensio  
domini in  
coelum.  
 scipulos in montem Oliuarum, unde ascendit recta in coelum.

HISTOR. ACT. APOST.

Discipuli adorato ipso, in urbem expectaturi spiritum  
sanctum reuertuntur.

DESCRIPSIT hucusq; luculenta historia bea-  
tus Lucas incarnationē domini nostri IESU CHRI-  
STI, prædicationem item, præcepta & instituta eius,  
miracula quoq; et beneficia eiusdem, passionem deniq;  
mortem & resurrectionē ex mortuis clarissimā, eiusq;  
rei demonstrationem evidentissimam, sed & ascensio-  
nem eius in cœlū gloriosam. In cœlis modo regnat rex  
& pontifex uere summus, salus, plenitudo & caput ec-  
clesiæ suæ. E cœlo uenturus est breui iudicaturus uiuos  
& mortuos. Hunc ergo expectamus cum gaudio libe-  
ratorem, oramusq; supplices, ut omnium misertus, om-  
nes nos benigne ad se transferat, AMEN.

DISPOSITIONIS  
ET PERIOCHES HISTORIAE  
ACTVVM APOSTOLORVM  
SECVNDVM LVCAM,  
LIBER I.



NON diuellemus, interiecto S. Ioānis Euā-  
gelio, libros beati Lucæ, quos ipse coniun-  
xit. Sequitur modo post historiam euā-  
gelicam,